

Parate viam Domini.

Léctio libri Isaíæ prophétæ

40, 1-5. 9-11

- ¹ **C**onsolámini, consolámini pópulum meum,
dicit Deus vester.
- ² Loquímmini ad cor Ierúsalem et clamáte ad eam,
quóniam compléta est milítia eius,
expiáta est iníquitas illíus,
suscépit de manu Dómini duplícia
pro ómnibus peccátis suis.
- ³ Vox clamántis:
«In desérto paráte viam Dómini,
rectas fácite in solitúdine sémitas Dei nostri.
- ⁴ Omnis vallis exaltétur,
et omnis mons et collis humiliétur;
et fiant prava in dirécta, et áspera in plana:
- ⁵ et revelábitur glória Dómini,
et vidébit omnis caro páriter
quod os Dómini locútum est».
- [6-8]
- ⁹ Super montem excélsu[m] ascénde,
tu, quæ evangelízas Sion;
exálta in fortitúdine vocem tuam,
quæ evangelízas Ierúsalem;
exálta, noli timére;
dic civitatíbus Iudæ:
«Ecce Deus vester,
- ¹⁰ ecce Dóminus Deus in virtúte venit,
et bráchium eius dominátur:
ecce merces eius cum eo
et práemium illíus coram illo.
- ¹¹ Sicut pastor gregem suum pascit,
in bráchio suo cóngregat agnos et in sinu suo levat;
fetas ipse portat». — Verbum Dómini.